

# TABVLA RECITATIONVM

IN

ACADEMIA LVDOVICIANA  
PER SEMESTRE AESTIVVM

A DIE XXVI. APR.

CIDIDCCLXXXIII.

IN CHOANDARVM.

RECTOR  
ACADEMIAE LVDOVICIANAE  
D. CHRISTIANVS HENRICVS  
SCHMID  
CVM SENATV.

**I**n sublimi illa pictura maris placati, quam *Virgilius* Aen. I. 124 - 156. exhibuit, quamque interpretes omnes nunquam non admirati sunt, *Neptunus* a *Marone* talis in scenam producit, ut *placidum* caput vndis efficeret. Quam ob causam *Nepruno* v. 131. *placidum* caput tribuatur, viri docti haud temere disceptarunt, quibus scilicet *Virgilius* non is videbatur, in cuius carminibus epitheta otiose redundant, quique potius illa summo cum delectu a praestantissimo quouis poeta adhiberi nouerant. Facillime reanotetur dubitatio eorum, qui *Neprunum* natura sua toruum & truculentum esse, talemque a poetis describi contendunt, sicuti *Horatius* Ep. I. 11. v. 10. *fuwentem*, *Ouidius* Trist. I. 2. v. 9. *ferocem* eum appellarunt. Quorum quidem opinionem egregie refellit *Celeb. Heyne* in Excursu IV. ad Libr. I. Aen. obseruans, in eiusmodi locis non de saeno *Nepruni* ore, sed de fluctuum rabie sermonem esse. Grauius esse videtur argumentum illorum, qui poctam sibi ipsum repugnare dicunt, quum deum, quem paulo ante *grauiter commorunt* ostenderat, *placidum* mitemque appellet. Sic *Horne* (Grundsätze der Kritik secundum versionis Germanicae editionem alteram T. II. p. 361.) *Virgilium* inter eos retulit, qui enthusiam poetico incensi repugnantiam talem non animaduertent. Attamen *Aristarchus Britannicus* statim subiungit, *Virgili* errorem excusari posse. (Wir wollen zuerst ein Beispiel von einem Widerspruch geben, der noch am ehesten zu entschuldigen ist.) De ratione autem, qua *Virgilius* vel excusari, vel repugnantiae illius prorsus absolui possit, diuersas Philologi amplexi sunt sententias. Grammaticos veteres *Ill. Heynius* iure meritoque vituperauit, quippe qui commotum *Nepruni* animum ad *Aeoli* temeritatem, *placidum* eius vultum ad *Aeneae* labores referunt. Pariter *Celeb. Heynius* excusationem improbauit a *Spencio* (*Polymetis*, or Enquiry concerning the Agreement between the Works of the Roman Poets and the Remains of ancient Artists) allatam, qua conuenientiam poetarum artificumque veterum nimis vrget, *Virgilio*que morem artificum placuisse dicit, qui deos iratos ita depingunt, ut placida eorum maiestas seruetur. *Neprunum* iratum sic a pictore effingi posse *Ill. Heyne* vere affirmat, ut placidi vultus vestigia maneant, a poeta autem, qui vnum post alterum ponit, non posse. Cui elegantissimae obseruationi hoc tantum addamus, differentiam illam inter poctam atque picturam, secundum quam poctis res potissimum tempore locoque succedentes, pictura res eodem tempore & loco existentes imitatur, hoc exemplo optime illustrari posse. *Neprunus* toruus in pictura *sempiternam* prae se ferret facitiam, quum iracundia in deo, sicuti in homine, eadem celeritate transeat, qua oriri solet. Quod quidem sagacissime docuit *Herderus* (*Kritische Waelder* T. I. p. 80.) in capite illo, in quo disquisiuit, num pulchritudo summa lex veterum artificum fuerit. (Die Griechen hatten einen Jupiter, der nicht immer *ruhig*, der auch oft der Grimmige war; der Dichter konnte ihn seinem Zweck gemachs so schildern, nicht der Kuentler. Der Hauptbegrif beim Jupiter, selbst, wenn er Donner wirft, bleibt hoher Ernst, schoene Groesse; dies ist eine bleibende Gestalt, die zornige geht vorueber.) Porro *Celeb. Heyne* collaudat *Braudesii* coniecturam, dignitati deorum etiam iratorum a poctis consuli, atque reticentiam illam in v. 139. sedatae mentis indicium, & *placidum*

*dum caput* numinis omnino tam lenis quam irati proprium habendum esse censet. Verum enim vero propter indolem poeseos supra memoratam notiones illas animi commoti & tranquilli verbis subsequenticibus expressas simul lectoris animo obuersari posse, haud crediderimus. Denique Ill. *Heyne* verba *grauiter commotus* non de ira vehementiore, sed de *Neptuno* mirante, quis tantam tempestatem excitauerit, interpretatur. At tranquillitas animi, quam *placidum* caput declarat, mirando pariter ac irascendo *grauiter* perturbatur, atque verba *Neptuni* obiurgantia & minantia iram exardescens fatis testantur. — Diuindicatis aliorum opinionibus iam dicendum videtur, quid nos quidem de hoc loco sentiamus. Quemadmodum breui temporis spatio variae in animo nostro perturbationes succedere possunt variis rebus excitatae; ita hic viri animo multifariam commoto quasi fluctuantis praeclearam imaginem adumbratam, & vt ita dicamus, chronologiam illam in iis, quae *Neptunus* sensit; obseruandam esse puramus. Si actor in scena has *Neptuni* partes susciperet, multa ei opus esset sagacitate ad distinguendum ordinem, quo animi commotiones succedunt. (Il est des coleres de plus d'une sorte; lorsque plusieurs sentimens incompatibles doivent se rapprocher, l'unir, le grand art est de montrer, qu'ils ne sont pas les memes (*Garrick ou les Acteurs Anglois* p. 48.) Primo *Neptunus*, dum pontum iniussu suo turbati animaduertit, mirans indignansque *grauiter commouetur*. Secundo domitor maris alti caput ex vndis eum in finem attollit, vt, quaecumque tumultus illius causa fuerit, eum comprimat. Quod quidem *placidi* consilium vultu *placido* prae se ferre videtur, qui suauissime opponitur tempestatis furori. Medias inter procellas tranquillum, & potestatis, cui venti fluctusque obediunt, consensum *Neptunum* tabula ostendit a *Montefalconio* in Diario Italico C. VIII. p. 111. delineata. Sic virum illum pietate & meritis grauem, qui v. 148. *Neptuno* comparatur, inter plebem seditione furentem impavidum & merum incedere cogitamus. Sicuti, vt parua magnis conferamus, angeli in *Messiae* consilia *Lehouae* e vultu eius colligunt, ita hic *placidum* caput *Neptuni* propositum eius praenuntiat. Quod si *Christum* pingeremus nutu suo (Matth. VIII. 23.) fluctus sedantem, non minantem, sed placidum simul & maiestatis plenum vultum ei tribueremus, vultum, qualem *Virgilius* Aen. I. 255. Ioni tribuit, quo coelum tempestatesque serenat. Tertio placidus *Neptuni* animus iterum turbatur, dum peruicaciam ventorum videt, quibus autoritatis suae ruendae causa temeritatem effracnatam *iracundus* exprobrat, iustasque poenas minatur. *Neptunum* minantem e recentioribus artificibus optime delineauit *Rubens*. Cf. Recueil d'Estampes d'aprez le plus celebres Tableaux de la Gallerie de Dresde 1759. T. I. N. 48. Denique memor celerrimam opem miseris Troianis ferendam esse iram compescit dicens: Sed motos praestat componere fluctus. Quemadmodum idem numen ab eodem poeta diuerso consideratum diuerso describi solet. (quid, quod *Macrobius* Saturn. I. 17. dicit, multos deos in eadem re duplici censeret & potestate & nomine) quemadmodum idem *Iupiter* tonans & serenus, dextra (*Hor.* Od. I. 2.) sacras arcus iaculans & (I. 9.) ventos depraeliantes sternens, tremendo (I. 16.) tumultu ruens & (*Sat.* I. 20.) ambas buccas inflans describitur, quemadmodum *Neptunus* ipse *ἰνοσηδων* & *ἄσφαλτος*, *πρόκλυσιος* & *σπηγ* appellari solet: ita in eadem narratione de eodem deo varia diuerso respectu praedicari possunt. Loca permulta. — Sed transire iam ad propositum nostrum praestat, atque *Vos*, *Commilitones aestumatissimi*, ardentissime exhortari, ne praelectiones, quas sequens tabula offert, incassum oblatas esse finatis.

### LECTIONES THEOLOGICAE.

D. IO. GEORG. ROSENMÜLLER publice tradet artem cateheticam; *privatim* hor. IX - X. in S. V. *Seileri* Theses theologiae dogmaticae, s. compendium minus in usum Praelectionum academicarum adornatum commentabitur; hor. X - XI. interpretabitur insigniora Pentateuchi loca, veteris historiae religionis simul habita ratione; hor. II - III. historiam religionis & ecclesiae christianae a Christo ad Carolum M. e compendio cel. *Schroeckhii* enarrabit.

D. IOH. GEORGIUS BECHTOLD. Hora VI. & VIII. matutina Ven. Doederlein summam institutionis theologi Christiani duodecies per hebdomadem interpretabitur; religionis nostrae notitias non solum e selectis, & probe excussis S. C. oraculis eruturus, verum etiam singulorum dogmatum origines, & varias vicissitudines historice expositurus. Hora VIII. matutina Veritatem religionis Christianae duce Ven. Lessio demonstrabit. Hora II. lectiones cateheticas instituet; ad collegia quoque examinatoria & disputatoria paratus.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER SS. Th. P. O. Hora VII - VIII Theolog. moralem tradet praecunte D. Lessio. VIII - Theol. dogmaticam duce D. Seilero: alteram horam coram indicabit. II - III. Geschichte der Religionen illustrabit. Diebus

bus Mercurii & Saturni theoretico - practice artem docebit homileticam ad compendium suum, hora matutina VII - VIII.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ *Dogmaticam* ex HEILMANNO docebit priuatim hor. XI-XII. singulis diebus profectis. *Historiam Concilii Nicæni* enarrabit publice d. Lun. Mercur. & Saturn. hor. X - XI.

### LECTIONES IURIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH *Institutiones* ex Heineccio, *Pandectas* ex Hellfeldio, *Ius Canonicum* ex Boehmero, *Ius criminale* e compendio suo tradet. *Disputatorium* quoque & *Examinatorium* offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS Publice diebus Lunae & Veneris Hor. I-II. *Ius Cambiale*, duce libro suo, *Anfangsgründe des Wechselrechts*, additis iuris mercatorum & maritimi principiis, docebit. Priuatim, Hor. VII-VIII. *Ius Feudale*, Hor. VIII-IX. *Ius Publicum* I. R. G., BOEHMERO & PÜTTERO praeceuntibus, tradet. Hor. III-IV. *Historiam Imperii* R. G., ad filum Compendii SELCHOVIANI narrabit; Hor. IV-V. *Ius Germanicum* priuatim eodem duce proponet. *Scholas elaboratorio - practicas* volentibus aperiet.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora IX-X. *ius publicum S. R. I.* docebit praeceunte PÜTTERO, eodemque duce hora II-III. *historiam imperii* enarrabit. Hora XI-XII. vel alia hora commoda *collegium processuale practicum* ad filum CARRACHII denuo aperiet. *Ius priuatum principum* separatis horis proponet.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER. *Priuatim*, hora IX-X. & XI-XII. ad b. HELLFELDI *iurisprudentiam forensem* secundum ordinem pandectarum commentabitur. Hora X-XI. *principia iuris naturae & gentium*, filum libelli III. HOEPFNERI sequuturus, omni fide & industria tradet. Hora V-VI. *historiam iuris* duce SELCHOVIO enarrabit. *Publice* diebus Saturni *exercitationes disputatorias* aperiet.

### LECTIONES MEDICAE.

D. IOAN. WILH. BAVMER, Med. Prof. primar. hor. VIII. *praecepta chirurgica*, ad ductum b. m. Io. Zach. Platneri, in *institutionibus chirurgiae rationalis*, in commodum vtriusque medicinae Dn. Studiosorum, publice tradet. Hora X. *Dogmata pathologico-therapeutica*, longo vsu firmata, eodem autore duce, in *methodo medendi* singulis morbis applicata, proponet. Hora XI. *anthropologiam* suam *anatomico-physicam* explicabit. Hora I. pomeridiana in A. C. Celsi libros *chirurgicos* commentabitur. Nec illis deerit, qui, *aliam quamcunque medicinae partem* addiscere, cupiunt.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ H. VII-VIII. *Physiologiam* H. VIII-IX. *Pathologiam* Hallero & Ludwigo. ducibus explicabit. H. IX-X. *Anatomiam theoreticam* praeceunte Plenckio tradet.

D. CAROLVS WILHELMVS CHRISTIANVS MVLLER *Priuatim* h. VII. *Physicam dogmatico-experimentalem*, h. VIII. *Botanicam* ad normam Philosophiae botanicae & *system. vegetab. immortalis Linnei*, h. IX. *materiam medicam* secundum Linnei epitomen, docebit. *Priuatissime* *therapiam specialem & chirurgiam* tradet.

### LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, Log. Met. & Math. P. P. O. Biblioth. acad. Praef. *Mathesin puram* hor. II. *applicatam* h. X. ad ductum b. Wolfii, *metaphysicam* h. VIII. Lo-

*Logicam* h. V. si fractae nuper graui morbo vires omnibus praestandis sufficient, ad filum compendiorum a se editorum docebit. Bibliothecam stato tempore aperiet.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ LL. Or. Gr. & Ant. P. P. O. Epistolas ad *Timotheum*, *Titum* & *Ebraeos* interpretabitur hor. IX-X. *Fundamenta linguae hebraicae* tradet hor. III-IV. — *Thomsonii Seasons* praeleget publice hor. I-II.

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID Prof. Poef. & Eloqu. Hor. VIII-IX. Praecepta stili bene Latini e Schellero tradet. Hor. III-IV. *Virgilii* epos, quod *Aeneis* inscribitur, illustrabit. Hor. IV-V. Notitiam librorum cuius studio vtilissimorum duce S. R. *Millero* exhibebit, ad elementa *Aesthetices*, *Poetices*, & *Rhetorices*, atque *Historiam litterariam Poeseos* docenda paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. hora VIII. *Historiam litterariam* ad ductum Baumannii, hora IX. *Historiam Europaeam* ad Comp. proprium, hora XI. *Historiam Vniuersalem* ad aliud Compend. suum docebit; ad reliquas scientias historicas quascunque docendas paratus.

### LECTIONES OECONOMICAE.

IO. AVGVSTVS SCHLETTWEIN exponet hor. VII-VIII. mat. *Oeconomiam politicam* seu vniuersum disciplinarum camerarium, vti vocantur, complexum secundum libellum proprium: *Die Grundfeste der Staaten*; hor. VIII-IX. *Oeconomiam forestalem* duce *Succouio*, ita quidem, vt simul in syluis & seminariis forestalibus, quae arborum syluestrium notitiam & culturam attineat, in auditorum conspectum producantur; hor. X-XI. *Ius naturae & gentium* secundum proprium systema: *Die Rechte der Menschheit*; nec iis operam suam denegabit, qui agrorum colendorum rationem & artem, *die Landwirthschaft*, vel aliam disciplinarum oeconomicarum & politicarum partem tractare cupiunt.

D. IOAN. WIH. BAVMER, histor. natur. & Chemiae Professor, Hor. VIII. Chemiam practicam, ex fundamentis suis de hac disciplina positis, tradet, & processibus chymicis consueta tempora dicabit. Hora II. pomerid. Geographiam & hydrographiam subterraneam, ad sua dogmata, experientis nixa, docebit. Si praeter ea excursionses mineralogico-botanicae Dn. Commilitones iuuant, & has, coclo fauente, impigre suscipiet.

---

GEORG. FRID. WERNER Geometriam practicam h. VIII. docebit; collegium priuatissimum in mathesin puram, mechanicam &c. &c. continuabit, & praelectiones in alias scientias ad officium suum pertinentes offert.

### LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

D. ANDR. IOS. SCHNAVBERT Iur. P. P. Extraord. praelegit hora VII. matut. *ius feudale*, hora VIII. *ius canonicum* duce G. L. *Boehnero*, hora XI. *ius publicum*, S. R. I. ad *Pitteri* institutiones, hor. III. *ius germanicum priuatum* ad *Selchowii* elementa, ad alia quoque paratus.

---

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta *equitandi*, *pugnandi gladio saltandique palaestra*, *Gallicae* item & *Italicae* linguae scholis, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.

Gissae, Ex Officina Brauniana.

